

Disputatio medica inauguralis de hectica febre ... / [Johann Jakob Ewald].

Contributors

Ewald, Johann Jakob, active 1699.

Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.

Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Literis Chr. Henckelii, [1699]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/h6gbapun>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPVTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

HECTICA FEBRE,

Quam

DEO BENEDICENTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO IUVENTUTIS PRINCIPE

DN. FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONE BRANDENB. ELECTORATUS

HÆREDE E.R.

IVSSV GRATIOSO FACVLTATIS MEDICÆ

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

D. ET PROF. PUBL. h. t. DECANI,

DN. PROMOTORIS SUI OMNI OBSERVANTIAE

cultu prosequendi,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Juraque & Privilegia
Doctoralia legitime capessendi;

Ad d. Maii M DC XCIX. hora locog. solitis,
Publicæ disquisitioni exponet

JOHANNES JACOBUS EWALD,
Misnensis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.

VIRIS

*Illustri, Prænobilissimo atque Excel-
lentissimo*

**DN. FRIDERICO KULE-
WEINIO,**

S. Regiæ Maj. Polonicæ & Electori Saxo-
niæ ab intimi Status bellici consiliis, Ministro longè splendidis-
simo atque dexterimo,

*Nobilissimo, Amplissimo, & Consul-
tissimo*

**DN. JOHANNI JOACHI-
MO ROTHIO,**

Præfecturæ circularis, quæ Lipsiæ est, mo-
deratori summo longe spectatissimo.

item-

itemque
Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis atque Experientissimis

DN. JOHANNI BOHNIO,

Philosophiæ & Medicinæ Doctori, Therapevtae Prof. Publ. Facultatis Medicæ Seniori, utriusque Principum Collegii Collegiato, Academiæ Decemviro & Civitatis Lipsiensis Physico, ubique celeberrimo & meritissimo,

ac

DN. AUGUSTO QVIRINO RIVINO,

Philosophiæ ac Medicinæ Doctori famigeratissimo, Physiologiæ ac Botanices Prof. Publ. Facult. Medicæ Assessori gravissimo &c.

Dominis, Patronis, Promotoribus ac respettive Preceptoribus

omni observantie cultu etatem venerandis


In debiti Honoris Gratitudinisque Signum & submissam sui commendationem, cum omnigenæ prosperitatis voto,

Disputationem hanc Inauguralem

offert ac dedicat

æternum debendi reus

JOH. JACOBUS EHVALD.



2. D. B. V.



Orborum , qui nos mi-
feros variè infestant atq; affligunt,
etsi infinitus ferè est numerus ; ita
ut qui eorum genera, quorum, ante
multa jamjam secula, trecenta, ex-
ceptis generum speciebus, Plinius
numeravit, notare velit, maris gut-

tas numerare, i. e. rem omnino infinitam emetiri videa-
tur; nullus tamen Febre omnium morborum commu-
nissimo, vulgarior & frequentior est. Nam cum alii mor-
bi non omnes ex æquo invadant, sed alii aliis ætatibus, se-
xibus, regionibus, corporumq; constitutionibus magis
vel minus familiares sint, certè febris Hydra Lernea illa
Microcosmi non parcit ætati ulli, regioni, sexui indivi-
duo, corporis constitutioni adeò ut tota ferè mortalium
manus ex internecina febrium sevitia suffragio Mortoni
& Helmontii decedat. Imprimis præter pestilentiales, &
petechiales & ardentes, febrem Hæticam impunè in
nos sævire dies loquitur; Ista, licet calor ejus mitis sit
nobisq; quasi obalndiatur, nec in apertas erumpat flam-
mas, nihilominus tamen interiora urit, depascit, colli-
quat, ægrotum sceleto similem reddit, tandemq; mife-
rum cymbæ charontis imponit. Quapropter placuit sa-
tis infestum & frequentissimum hujus malum pro ma-
te-

teria dissertationis inauguralis eligere atq; conferre in publicum : Huic autem an satisficerim , tute , Lector Benevole , animo judicabis æquo , tenuitatemque meorum studiorum exoptatissimâ favoris tui aurâ sublevarbis. Deum autem T. O. M. pie veneror , velit labori huic ex altô benedicere , eundemq; in sui ipsius gloriam proximique emolumentum unicè convertere.

§. I.

Hæc , quam mihi tractandam proposui , vox origine græca est , *ἀπὸ τῆς ἔχεως* , seu ab habitu , quia in habitu corporis adeò fixa est , ut omnes partes tententur & emacientur : vel , quia quando radices egit difficulter vel planè eradicari nequeat . Quod etiam Sennertus probat Lib. 3. de febr. ubi de heætica agens inquit , intemperies febribus quasi in habitum transit & ita partes corporis nostri viventes occupavit , ut etsi à nullâ causâ foveatur , nihilominus subsistere possit .

§. II.

Sortita est interim & alias appellationes tum à græcis , quibus dicitur ἑτηκή , πυρετός ἑκτηνός , tum à latinis , qui vocant febrem torridam , tabidam , marasmodem , marasmus , marcorem . Gariopontus Autor sequioris cumprimis ævit . 6. prax . c . 1. vocat consuetudinare . Germanis dicitur ob marcorem ut plurimum inde emergentem , Darr - Fieber / Zehrend und Schwindsüchtiges Fieber .

§. III.

Sed relicta Onomatologia , confero me ad ipsam realem Heæticæ tractationem . Nullatenus autem in examinandis aliorum definitionibus multum immorari placet , saltem qua ratione hanc arbitrer definiendam , paucis explicatum dabo .

§. IV.

Heætica , est febris symptomatica , chronica , continua , lenta ; à Sangvinis & spirituum motu præternaturali , ab ob-

struzione Scirrhode, aut apostematode, vel actuali ulceratione visceris cuiusdam, orta: cum rubore faciei, & phlogosi, præsertim post pastum aucta, iracundiâ & excandescentia præcipiti ob levem saltem causam, & corporis contabescentia lentâ ac successivâ, seu marasmode, conjuncta.

§. V.

Generis locum in hac definitione occupat Febris, quia æque in Hætica ac in aliis febribus, Sangvinis & Spirituum orgasmus, pulsus frequens, celer, prætereà durus, parvus, debilis, virium prostratio, aliaq; circà febrem requisita, sese manifestant.

§. VI.

Porrò, Hæticam febrem dico Symptomaticam; Quia nisi imminente, aut jam fiente Scirrho ulceroso viscerum, non evenit; Appello Lentam, & continuam; quod nec frigore acri, nec ardore urente, impetuose adoriat agros, pro aliarum nonnullarum febrium more; Sed remissius omnino & blandius incipiat, lentoque, perennante tamen gradu, progrediatur: Sic, ut agri quasi consuetudinem contrahentes, vix sese febricitare sentiant: Differt tamen à lentâ simplici febre, cum lenta, non statim sit Hætica: Hætica verò semper lenta.

§. VII.

Causa Febris Hæticæ proxima & immediata, nominata à nobis est Commotio p. n. Sangvinis & Spirituum. Ubi nimurum non nescimus, in diversum abire Autores circà hujus determinationem. Ita enim Sylvius, ut omnes ferè affectus, ad anomalas crases, & heteroclitas effervescentias bilis & Succi Lymphatico-Pancreatici adstringere laborat, ita in Hætica quoque accusat lymphæ nimiam glutinositatem, sic enim Prax. Med. l. i. c. 32. differit: Judico peccare imprimis (in Hætica,) glandularum conglomeratarum liquorem, non salivam duntaxat, sed ipsum quoque succum pancreaticum, & quidem visciditate aucta; non item acrimoniâ vel austерitate molestâ, quamvis aliquando hanc simul offenderim gravem: unde billem simul concurrere inctionem quis mirabitur aut negabit?

Sed

Sed lympham quoque tunc obtusiorem futuram, nemo non videt. Willisius, uti febres omnes ad vitiosam fermentationem ac effervescentiam revocat, ita & Hecticam sine dubio ad ipsam referet, quanvis nullam hujus in specie injecerit mentionem. Malpighius, fermentationem accusat nimiam, ubi plus justò acrior sangvis, partes, in quas influit per arterias delatus, solvit ac fundit, ut innumeræ exin particulæ per cutem insensibiliter foras avolent.

§. VIII.

At verò præ his & similibus, videtur mihi rem proprius tetigisse Helmontius, qui putat Archæum velut iratum, excandescere, non alio fine, quam ut expellat hostem sibi molestum & nocivum. Nempe certum ferè est, calorem animalium naturalem à spiritibus provenire. Hi ipsi verò, ut reverà ignei motus sunt, (prout Excell. D. D. Rivinus in disput. de Spirit. hom. vitali prolixe demonstrare laboravit,) calorem quidem moderatum, si debito modo influant, in corpore gignunt: ast si velocius commoveantur, atque copiosius impellant sanguinem, præternaturalem æstum creant.

§. IX.

D. Præsidis, ut à Spirituum Hypothesi alieni, ea est sententia; Cum in Hectica lœsio aliqua immanens in aliquo viscere vitali peccet; & quidem lœsio Mixtionem partis afficiens, quod ad hanc corrigendam, progressum ejus præoccupandum, corruptelas abstergendas & distrahendas, opus sit Motu Humorum auctiore, tanquam unico hujus Scopi obtainendi instrumento. Motus hic auctior, uti pulsu frequentiore, præsertim verò celeriore, & partium omnium tono intensiore, fit; Ita trahit immediatè post se, Caloris augmentum proportionatum. Fit hoc totum negotium diuturnum seu Chronicum, quia causa ejus continens veluti, propter quam suscepimus fuit, est Chronicū, quid, immanens, & pertinacissimū, nempè vel actualis ulceratio, vel Scirrhositas ad ulcerationem prona, in parte aliquâ internâ vitali. De quâ tamen re, cum ipse suo loco &

tem-

tempore, b. c. d., aeturus fit, tantisper aliorum opiniones in medio relinquit.

§. X.

Unde quidem, uti, juxta has Hypotheseses, non dubito asserere, Sangvinis & Spirituum influxum inordinatum, esse genuinam & proximam hecticæ causam; ita facillimō negotiō, arbitror ad hanc reliquas omnes remotiores & occasionales causas reduci posse.

§. XI.

Causæ enim mediætæ proximioris vicem, facile tuetur Morbus alicujus partis vitalis lentus, cui Hecticam Febrem, Symptomaticè accedere diximus. Præcipuè verò talis, qui non tam solam structuram partis, aut usum ejus, sed ipsam, planè Mixtionem ejusdem dissolvere & destruere parat. Facile est declarare Thesin, si generaliter asseramus, nullum apostema in visceribus gestari, imò nullam obstructionem, aut Scirrhoiam, inflammationi aptam congestionem, quin Hectica Febris ei complicetur. Affluunt exempla, à Practicis passim annotata; è quibus ut paucos adducamus, Febres sanè acutas ardentes, manifestò ferè cum inflammatione internâ conjunctas, præcipuè hoc nomine accusat Forestus, l. 2. obs. 4. Balth. Timæus à Guldenklee, in Cas. medic. l. 8. c. 23. mentionem facit juvenis, qui ex febre ardentiissimâ continuâ, in Hecticam incidit. Ita quoq; non novum est (abusu præcipuè Stypticorum) Tertianam æstuosiorem in Hecticam transire: in quem sensum Riverius Cent. 2. obs. 2. aliquid notat. Quid verò notius, quām Febres Hecticas succedere repentinæ coagulatoriæ refrigerationi circâ Hepar, Pancreas, Splenem, è potu valdè frigido, Corpore exæstuante? Quid notius, quām nasci eandem ab ulcere pulmonum? Adeò ut etiam multi hecticam cum phthisi confundant. Ab aliis febribus putridis posse ori ri per metastasis, sunt, qui dubitant, sed hos refutatos vide apud Sennert. l. d. febr. 3. c. 2. A febribus pestilentialibus posse originem trahere, dicit Lazarus Riverius in Praxeos Medicæ

L. 17. c. 3. de pestil. febr. Viscerum internorum, epatis, cordis, diaphragmatis, ut vidit Galenus, renum, ventriculi &c. inflammationes c. l. sine exulceratione, tumore, ac dolore, it. empyema, apostemata atque fistulas internarum partium, hecticæ parentes posse existere, practici abundè testantur. His adjungi possunt, viscerum & vasorum obstruktiones enormes v. g. glandularum mesenterii; de quibus vid. Salom. Albert. *de morb. mesent. & pancr.* A morbô Gallicô excitatam vide apud Rodericum à Fonseca tom. 2. consult. 62. similiter ex ventriculi pravis humoribus, itemque Sangvinis, aliorumque humorum vitio, nasci, quotidiana similiter docet experientia.

§. XII.

Causas remotiores quod attinet inter harū magis naturales, Tempementū primū habet locum: Unde illi, qui naturā calidiores & sicciores sunt, ad hecticam magis proclives sunt, quia amplioribus vasibus instructi, ad impetuosos infarctus & stases circa viscera formandos aptiores videntur: Sive etiam quod spiritus à quocunq; stimulo irritante facile commoveantur; ex qua causa Ætas juvenilis & virilis magis ejus periculo est exposita, utpote in quibus, præsertim juvenili, vegetius transfertur, & ad excretiones constringitur, Sangvis: Imprimis circa pulmones, unde Phthisis huic ætati familiaris, notante jam Hippocrate. Huc quoque spectat dispositio Hæreditaria, per hæreditatem enim, non minus sanitatem ac morbos produci, per experientiam probabile fit: Sani enim ut plurimum sanos, morbosī valetudinarios generant, id est, parentum robustiorum semen laudabile, firmam corporis texturam & actionem cunctarum vigorem proli inducit.

§. XIII.

Ex causis non naturalibus, occurrit primò aér, qui quando justo fervidior est, turgescencias sangvinis seu ebullitiones tantas sæpe excitat, ut copiosior sudor profluat; sitis plus minus molesta inducit, quatenus ob seri dilapidationem saliva deficit, aut saltem magis spissa, acris aut mordax quam par est redditur, imò tum Massa sanguinea depauperata per sudore-

ferositate, ob nimiam spissitudinem, ad circuitum ulteriorem per corpus ineptior redditur, & facilius stases in visceribus densioribus subit, inde nimium in hoc opere expediendo commoti spiritus, excitant æstum hecticum. Ab æere nimis sicciore, corpora exsiccantur, & ignei atomi fluidarum partium abripiuntur, summō cum damnō œconomiae animalis, hinc etiam excitatur æstus insuetus & inflammatio. Porrò exhalationes arsenicales, vitriolicæ, mercuriales &c. item ex ore & Corpore Phthisico-Hecticorum prodeuntes, multos hecticos reddiderunt.

§. XIV.

Secundò errore Diætæ invitari hecticam nullum est dubium. Cibi aromatibus & sale nimis conditi, in ventriculo acres humores generant, qui postmodum ad Sangvinem delati, spirituum motum accelerant, dissipationem feri promovent, siveque æstum præternaturalem, siccitatem, sitim inferunt. Verbo, quemadmodum morbi chronicī frequentissimè lœsæ digestioni primæ suam debent originem, ita præprimis febris hectica, fontem atque scaturiginem exin sapissimè habet.

§. XV.

Quod ad potum attinet, vina, aliquæ potūs generosi hic in censuram veniunt. Frequentissimè hinc ii, qui multò generosō viñō, spiritu vini, aquæ vitæ & similibus igneis spiritibus, nimium sunt usi, inspissato nimis sangvine, scirrhositate viscerum secuta, ad hecticam redditii fuere dispositi. vid. Zacut. Lusit. Med. Pr. Histor. 41. & 42. Barthol. cent. 5. hist. 35.

§. XVI.

Similiter Inediam sive defectum alimentorum, non solum atrophiam, sed & hecticam producere posse, mirum non est; præcipue si corpori de cætero vegeto, præcipiti impetu accidat. Cūm enim laudabile corporis nostri alimentum non quotidie per assumta restituitur & conservatur, paulatim deficit, hincque spiritus & humores laudabiles consumuntur, solidio-

liorum quoque substantia rorida & gelatinosa colliquatur, & corpus nostrum planè exsiccum fit.. Huc referenda est He-
cica, a Muralto clav. Med. annotata, quæ ob fortiorē infan-
tis suctionem hincque nutrimenti defectum lactanti contigit.

§. XVII.

Tertiò, uti per motum corporis immoderatum & intem-
pestivum, repentinis expansionibus, viscera facile obruuntur,
inficiuntur & oppalentur: simulque spiritus dissipantur & ab-
sumuntur, humiditates diffundantur, partiumqne robur dissolvit-
ur, sicque via febri hecicæ struitur: Ita ex otio seu quiete,
quoque nimiæ, oriri posse eandem, nullum est dubium, qua-
tenus humorum alibilium, ac spirituum, influxum, cohibet ac
moratur, & hinc nutritionem imminuit, vel excrementorum
exclusionem retardat, circulationem sanguinis segniorem &
humores crassiores, adeoque stasibus aptiores, reddit.

§. XVIII.

Quartò vigiliae & somnus, quatenus vel in excessu vel de-
fectu insigniter peccant, non feriantur, ad promovendum hoc
malum: illarum enim alterationes proportionatæ omnibus fun-
ctionibus præstandis ac perpetuandis egregiè inserviunt: si
autem excesserint, malæ sunt, juxta Hipp. Sect. 2. aph. 7. & sect.
2. aph. 3.

§. XIX.

Quintò, quemadmodum excretiones nimiæ in alvi flu-
xibus v. g. dysenteria, hæmorrhagiis quibusvis, sudoribus,
semine, ita suppressiones excretionum alvi, vesicæ, uteri, su-
doris consueti, hæmorrhoidum, atrophiam, desiccationem
viscerum, & inde Febrem hecicam, inducere possunt. Illuc
enim cùm humoribus excretis, notabilis quantitas spirituum
deperditur; hinc residui in corpore langido spiritus, in mo-
tum turbidorem rapiuntur: hic verò, à retentis p. n. variis ge-
neris quæ tanquam inutiles, noxiæ, aut pondere molestæ à na-
turâ ejectioni destinatæ erant, particulis, sensim sensimque ad
majorem pravitatem transeuntibus, utiles corporis humores

pervertuntur, hincque spiritus irritantur. Quantum vel sola prohibita per corporis poros transpiratio insensibilis hic possit, ex incredibili pondere materiarum excerni solitae concludere licet, si modò verum est uncias quadraginta & ultra per occultam transpirationem secundum naturam spatio unius noctis evanescuari, referente Sanctorio Med. stat. sect. I. §. 59.

§. XX.

Sexto animi pathemata, præsertim tristitia, ira, mæror, multum disponunt ad hunc affectum, Forestus in obs. I: 4. de febr. Hecticis, obs. 2. & 3. hecicas ex mærore & melancholiâ ortas refert, idem scribit Zacut. Lusitanus comment. in Galenum.

§. XXI.

Relictis causis, descendemus ad symptomata. Faciei phlogosis, ac rubor, post pastum auctus, præcipuum Hecticæ symptoma est; cuius rei rationem Galenus eandem putat esse, quæ est effervescentiæ calcis vivæ, ab aqua affusâ. Hærmigl. 2. de febr. c. 5. accusat fatus in ventriculô genitos, patulosque habitus poros infarcientes, ac ita calorem retinentes. Alii cum aqua lapidi candenti affusa comparant; aqua enim statim rarescit & in vapores calidos resolvitur, uti in balneariis videre licet. Ego puto, illud vel bili acriori aut humori acido pravoque, in primis viis hærenti, (in hecica enim prima digestio nunquam prorsus sine vitio est) cumque alimentis Massæ sanguineæ accedenti & ulcus pulmonum, quod plerumque adest, irritanti, esse adscribendum. Quod verò malæ rubore tingantur, fit ob viciniam loci; observamus enim, si ulcus pulmonum est in dextrâ latere, dextram malam tantum ruborem ac phlogosin experiri; si in sinistro latere est, sinistra tantum mala rubescit, si ulcus utrumque lobum pulmonum occupat, toti faciei rubor inducitur. D. Præses suam sententiam hic reservat.

§. XXII.

Rationem iræ & excandescentiæ præcipitis, quod alterum symptomatum hecicæ dixi, si quis desiderat, nullam plausibiliorum

rem dare possumus; quam quod spiritus in continuo p. n. mo-
tu constituti, citius ab objectis externis in motum se rapi pa-
tiantur, quam alias in statu tranquillo & ordinario. Prout et-
iam in rationalibus rebus, oneratus jam laboriosam molestia ani-
mus, etiam levi impedimento novo, acrius concitari solet.

§.XXIII.

Symptoma aliud grave Hecticorum, præcipue consumma-
tiorum, est sudor nocturnus, qui saepius tam copiosè emanat,
ut ægrotantes aquâ fuisse superfusos jurares, dum singulis no-
ctibus semel, bis vel ter cum induisiis stragula mutare cogantur.
Hujus originem si quis desiderat, eidem auctum acceleratum-
que sanguinis motum nomino; spiritus etenim dum hostem
admissum undiq; perseqvuntur, omnia magis æstuant, motus-
que sanguinis acceleratur manifestè. Hinc resolvitur Sangvis
copiosius, & colliquatur in Serum; sudore diffluens atque e-
rumpens: Quo impetu patulis factis poris, lympha quoque per
illos expellitur copiosè.

§.XXIV.

Restat adhuc contabescentia corporis, cuius mentionem in
definitione injeci. Latere autem neminem fons hujus mali
potest, qui attendat, quod diutinus & perpetuus motus san-
guinis nimius, non modo bona Lymphæ proventum potius
impedit quā promoveat: Sed ipse etiam auctus Nutritionis
seu appositionis, læsâ aliquâ principali parte Corporis, quasi
negligatur: destruuntur vires manifestè: præterea sanguis he-
cticorum, eo quod luxuriet particulis acribus, nimis aquofisis,
viscidis, corruptis, ac purulentis: dissolutioni potius quam
Nutritioni succurrit: Ita etiam pinguedo, à calore liqefacta,
per venarum extremitates reassumitur, ac sic in sanguinem con-
vertitur; cum natura semper intendat conservationem sui.
Hinc non solum pinguedo in totum consumitur; sed & caro
ipsa sensim deficit, ut flaccida cutis, nuda quasi ossa investiat,
& tabescentia seu marasmus exsurgat.

§. XXV.

Et hæc etiam de symptomatibus. Veniamus ad differentias, & gradus febris Hæcticæ. Communiter ex triplici substantia partes solidas constitui, ex mente Galeni jam olim credebatur, 1. humidâ quadam quæ dicitur ros, 2. carnosa & adiposa 3. membranosa & fibrosa, quæ *κατ' ἔξοχην* solida dicitur; Ex hac triplici substantia Medici trichotomiam Hæticæ deduxere. Quando rorida saltem partium nutriendarum substantia consumitur, oritur primus gradus Hæticæ & dicitur Hæctica sine tabe: quando in gelatinosam magis substantiam versus humor nutritius, quasi deliquatur, hæctica secundi gradus exsurgit, quæ dicitur febris marasmodes. Ehi duo gradus, secundum Sennertum, & alios, sunt curabiles. Quando substantia fibrosa consumitur, oritur marasmus: Vocatur etiam Hæctica cum tabe, & tūm omnis spes evanuit. Galenus vocat hos gradus, tempora, initium nempè, augmentum, & statum.

§ XXVI.

Dividitur porrò Hæctica ab aliis, tum quoq; à Riverio lib. xvij d. febr. c. 3. de Hæticâ, in primariam, quæ ex perverso rerum n. n. usu v.g. assumtorum, retentorum, balneorum ac thermarum & animi affectionibus oritur; qualis communiter quidem negatur, asseritur tamen ac vindicatur à Piens, part. 2. c. 8. Et secundariam, quæ aliis succedit febribus: estque vel simplex & solitaria, vel febri putridæ complicata; sic Hæticam cum peste & putrida complicari, tradit Matth. Unzerus de lue pestif. I. i. c. ii. Ast quia Hæctica rarissimè, juxta Liddelium c. io. de Hætica, per se incipit, & vix unquam à causis oritur procatarcticas, quin præcedere videatur Diaria vel febris alia: ut plurimum secundaria aut symptomatica est; Ex febrium enim degeneratione, & à morbis particularibus contingere, quotidiana loquitur experientia. Exempla si desideras, supra reperies, ubi sermo erat de causis.

§. XXVII.

§.XXVII.

Satis de differentiis. Digredimur ad Signa. Sunt autem alia imminentis , alia jamjam præsentis Signa. Imminentis plura sunt, & petuntur à supra enumeratis causis non naturalibus & præternaturalibus. Qui temperamento gaudent calido & siccō; in ætate juvenili constituti, hæreditariam dispositiōnem habent, caliditatem & siccitatem temporis æstiri & aëris tolerare coguntur, potu generosiori cibisq; calidioribus vel medicamentis feso nimis ingurgitarunt, excessum in motu & quiete commisere, æstui superpotarunt' frigidè: excretorum & tentorum vitium passi, animi pathematibus nimium indulſere ; qui itidem ephemerā, febre ardente, phthisi, partiumque internarum inflammationibus, infestantur : Hos, dico, semper à tergō sequitur Hæctica, usque dum improviso arripiat. Quanquam, si verum fateri volumus, hic affectus dignoscatur iatis difficulter, ita, ut ejus principium ab omnibus Practicis facilius curatu quam cognitu pronuntietur; cum ipsi ægri sàpè se febre vix constanter sentiant.

§. XXVIII.

Signa nihilominus diagnostica obſerventur ſequentia. Calor in ordine ad acutiores continuas, admodum levis est & quasi latens (id est, æger nullum dolorem seu inſignem inde moleſtiam ſentit) qui in volis manuum & pedum maximè ſe manifestat, & primo contactu vix percipitur. Sin autem manus diutius admota contineatur, ſenſibilis magis manifestus & mordacior evadit, ſibiq; ſemper ſimilis eſt, ſine augmento & remiſſione notabili, niſi quod exacerbetur, una aut duabus horis à paſtu. Pulsus eſt frequens & celer, parvus tamen ac debilis, niſi quod poſt paſtum celeriter intendatur, interdum idem quoq; major reddatur: appetitus adeſt proſtratus, ſitis inſolita, lingvæ ariditas & ſalivæ glutinositas, accedit virium langvor & inſignis laſſitudo corporis. Hæc ſunt signa Hæcticæ primi gradus. Secundum gradum urina oleaginosa evincit, quamvis enim aliás ex urina nullum hæcticæ ſignum peti conſtanter poſſit, cum in principio morbi ſanorum ſimilis ſit, niſi ventriculi cru-

cruditates aliive affectus urinam alterantes, hec tice causa existant, aut quocunque modō ad ejus intensionem concurrant: Progressu autem temporis, & ubi sub incremento morbus est, ac ad marasmus inclinat, oleosa evadit, & pinguedo sub telarium aranearum formā, urinæ supernatat. Ultimus, & despectus gradus hec tice, dignoscitur ex facie Hippocratica; facies livido plumbeoq; colore turpis est, tempora sunt collapsa, oculi retro in cavernas se abscondunt, mala protuberant, genæ exēfæ sunt, labia non sufficenter dentes tegunt, costæ, scapulæ, claviculæ, multum emicant, artus cum reliquis musculosis partibus, excarnes: paucis, homo sceleto similis redditut, nihil enim esse videtur, quam compages ossium pelle obducta. Tandem his accedit Diarrhoea, sudores nocturni, ac capillorum defluvium,

§. XXIX.

Prognosin quod spectat, febris hæc morbus fatis diutinus, & costumax est: in specie tamen facilioris curationis est, simplex, id est, quæ nec alterius speciei febri juncta, nec actualē jam abscessum, comitem habet, quam quæ hos affectus combinatos gerit. Deinde majoris spei est, quæ adhuc in principio, præ illa, quæ magis confirmata, & tabi propinquior existit: ita quidem, ut tertii gradus, sanari neutiquam possit: præprimis si superveniant sudores nocturni & colliquati, pedum intumescentia, urina oleaginosa, facies cadaverosa Hippocratica, capillorum & alvi profluviū: quibuscumque enim tabe laborantibus, capilli de capite defluunt, hi alvi fluxu superveniente, moriuntur, inquit Hipp. 5. aph. II. 12. 14. Denique plus salutis promittit febris hæc in subjectis, vegetoribus ætate, & viribus; in senioribus difficilius, imò, paulò confirmator, nunquam sanatur.

§. XXX.

In curâ necessum habet Medicus, ut prius inquirat, primò, an ab difficulti morbo, v. g. ulcere pulmonum, febre alia, non ritè curata, & inde seirrhosâ obstructione Hepatis, aut glandularum mesaraicarum, dependeat? secundò an sit simplex

plex, an' verò cum febre typica acutâ complicitetur? sive enim ab alio morbo dependeat, seu acutam febrem sociam habeat, non tolletur, nisi illis sanatis: Simplicior verò, & recentior, mox omnem in se convertit curam. Neutquam tamen hujus indicationes, à morbo & viribus tantum, ex vulgari scholarum Doctrina petantur, quasi febris hæc causa continente careat, saltemque humidum perditum, sui restaurationem postulet. Sed quia, ut dixi superius, sedes hujus febris, præcipue in morbo visceris alicujus concurrente, est, quo sublato, facilitius humores carebunt culpâ: Quia tamen fieri potest, ut vel humorum vitia occasionem febri subministrent, vel ab aliâ causâ, irâ, tristitia, aut animi moerore, febris oborta, repe riatur corpus jamjam im purum: I. denique, ut cacockymia, nascatur in ipsa febre: existimo remedia omnia, quibus contra febrem hecticam utimur, ita commodè distingui posse, ut alia respiciant humorum vitia, alia motum eorum ad & per viscera, & horum præcipue restaurationem, interea verò etiam exacerbationem Motuum, seu impetum Spirituum irregularē, & alia symptomata urgentia.

§. XXXI.

Quæ humorum vitia spectant, sunt vel evacuantia, vel alterantia. Ex evacuantibus primo loco sese offert Venæ Sectio, quæ utut à Botallo de Venæ Sectione adeo commendata in hecticâ propriè sic dicta, rarius tamen vulgo administratur, potissimum cum febris hectica plerumque tunc demum, quando in habitum abiit, curæ esse communiter soleat. In confirmata, sanguinis missionem instituere velle minus conveniens est, quia virium robur alias jam planè prostratum est, hæcque si adornetur, ex succum corpus magis debilitare possit, et vires dejicere. Si quis tamen in hecticâ, præcipue à mensium vel hæmorrhoidum vitiis, aut in alias V. S. assuetis, illam negligat, minus sanè utiliter faciet. Sic Galenô attestante 6. epidem. com. 2. 9. mulier ob diuturnum menstruorum suppressionem hectica fere consumta, per venæ sectionem restituta, & habitior facta fuit. Interim, quæ est sententia D. Præsidis, V. S. ut ferè semper, ita hic quoque præservativè magis, seu secundario, quam direkte curativè, utilis est. Magis enim mitigat morbum, & reliquæ curæ ve-

lificatur, quām quod directe per se eundem tollere valeret. Vires verò jam debiles & exhaustæ, quæ à rebus naturalibus, non naturalibus & præternaturalibus dijudicandæ, prohibent. Nullus verò locus est arteriotomiæ, rarus & exiguus scarificationi, cum vel sine cucurbitulis. Hirudinum usum commendabit fortè demum diuturnior Experientia, & utilitatem earum in Hepatis & Lienis vitiis, confirmabit, de quibus nuper egit D. Præses. Diss. pecul. Se tacea quoque, vesicatoria, & fonticuli, præservationis gratiâ, & interdum quia succum à Sanguine diversum acrem educunt, non omnincarent successu, si juxtâ specialiores circumstantias prudenter adhibeantur.

§. XXXII.

Hæc ex fonte Chirurgico. Sed nunc remedia pharmaceutica sequuntur: Quia hec tica ut plurimum cruditates primarum viarum, sibi vel comites habet, vel causam remotam agnoscit, quatenus sæpè ex vitiis primæ digestionis oriuntur, aut eandem post iē trahunt, viscerum affectus, purgantia leniora reliquis medicamentis viam parant. Purgantia temperata & mitiora, quæ humores excrementitos, biliofos, acres, & pituitofos in primis viis hærentes, leniter ac moderatè sine omni virium jacturâ educunt, sanguinemque minus exagitant, sunt Manna, cassia, Rhaharb. rad. lib. alb. alth. polypod. passulæ maj. & min. pruna, denique fol. fenn. & Agaricus: ex compositis, Elect. lenit. Syr. ros. solut. item viol. syr. cichor. cuu Rhab. Profunt verò hæc magis in liquida, quām siccâ formâ, unde decocta, in fusa, potiones, & electuaria præ pilulis, imprimis alöeticis, & aliis siccioribus, ex usu erunt.

§. XXXII I.

Purgantia fortiora v.g. è colocynthide, esula, scammonio, antimonio, jalappa & helleborô parata, quia corpus debile nimis exagitant, hypercatharses movent, serum nutritium, & corpori aridiori necessarium, admodum evacuant, & in genere nimias commotiones & evacuationes extimulant, fugienda sunt, vid. Martin. Wendelin. l. 3. axiom. med. 1166. Fuchs. in instit. Med. l. 4. Sect. 5. c. 38. Joubertus l. 3. pract. c. 1. Vomitoria blanda, si vitium in primis viis stabuerit, quidā suadent, verum nisi talia adhibeantur affectu in-

cipiente, & ubi ulcus pulmonum non urget, simulque habetur ratio ægri constitutionis & virium, vix suaserim.

XXXIV.

Denique & clysmata laudem merentur, si alvus non aperta sit, si intestina atque dorsum vehementius doleant, si subjecta alias simul malo hypochondriaco, vel affectibus lienis vexantur, si abdomen inflatum, durum, atque spasmō tensum, aut flatibus distentum reddatur: & potissimum ubi cacochymia evacuationem urgeat, ægri tamen per os pharmaca assumere detrectent. Parentur autem ex emollientibus partim, malva, alth. Parietar. mercur. rad. lil. alb. fl. cham. malv. n. melilot. partim alterantibus, borrag. cichor. bugloss. &c. quarum decoctis detergentia magis, scilicet therebinthin. in vitello ovorum soluta, mel rosatum, anthosatum &c. imò pro ratione circumstantiarum purgantia, elect. de hier. c. ager. Diaprun. lenitiv, casfiæ extr. & similia adjici possunt.

XXXV.

Quod ad reliqua totum corpus evacuantia spectat, sunt nonnulli, qui decocta lignorum sudoris movendi gratia propinant, quibus nihilominus cum summâ prudentia, & parca dosi uti licet, quanquam diaphoretica temperata, e.g. Antim. diaph. antiheat. Poter. essent. lignor. &c. locum hichabere possint, vid. Wedelius in amœnit. mater. med. p. 348. Diuretica à quibusdam, ait, maximæ efficaciæ observata, laudantur, quatenus humorum visciditatem solvere creduntur, verùm & cx his solum temperatiora profunt.

XXXVI.

Nam & alterantia varii generis utilisima sunt. Humor itaque acidus, ex ructibus acidis, aut simili vomitu omnino manifestus, per præcipitantia & absorbentia non difficulter tollitur, talia sunt terræ pingues atque sigillatæ, strigonensis, lemnia, bolus alba & armen. Marga, lac lunæ, it. lapidosa, alabastr. crystall. mont. corall. ut & partes animalium duriores lap. 69. CC. ebur integrum ac ustum, imò & Martialia, ut limat. mart. & haematit. Cavendo saltem, ut ubi excretiones moderatae, v.g. per tussim concurrunt, illæ per adstringentia non supprimantur, conf. 7. aphor. 16. & 78. Pertinent, huc quoque Salia vol. & alcalia fixa, ita n. Boyle commendat

Sp. sang. hum. & urin. potentius destruunt acidum Salia fixa,
e.g. absinthii. card. bened. Tartarus. ol. Tartar. j. per deliq. &c.

XXXVII.

Nidorosa cruditas, quæ ex ruetibus putridis, oris amarore, nausea & cardialgia cognoscitur, tollitur quoque per præcipitantia jam enarrata, inter quæ crystallus præprimis eminet: præter ea conveniunt & acida & salsa, acida sunt, sp. Vitrioli, Sulphuris, Nitr. & Salis dul. & qui à quibusdā ut specificus aestimatur, sp. Vitriol. vol. & omniū primo prodiens phlegma insipidum ferè, quamvis exhalationibus Sulphureis vel acido volat. maximè imprægnatum, imprimis si super novum vitriol. aliquoties cohobetur, vid. Mar. Marci phil. vet. restit. part. 5. sub Sect. 9. Succus citri, granator, ribium, berber. rubi idæi, ceras. acid. ut & acetosæ, acetosellæ, sempervivi maj. & portulac. it. Julepi rosar. violar. TRa rosar. corall. sp. Salis corallisat. salsa sunt Sala Tartari, Sal. ammon. Nitr. antim. rosat. vitriolat. Sulphurat. arcānum dupl. Tart. Tartaris. vitriolat. & Sulph. crem. & cryst. Tartari, Terr. foliat. Tartari: Cavendo semper, ne per acidorum abusum, ulcerosis affectibus viscerum stimulus addatur.

§. XXXVIII

Si salsedo præualeat, utiliora erunt incrassantia, gumi arab. tragacantha, mastich. oliban. benzœ, styrax, Sperma ceti, nec non terra Sigill. bolus armena, & alba, terra goldberg. Præter hæc coueniunt glutinosa quæuis, ac pinguia rad: chin. sarsæ, parill. Gelatin. C. C. ebor. aut è limacibus parata, Decoct. strobil. pini c. glycirrhiz. passul. pinguedo canis aut viper. ol. commune. Præterea hoc in passu dulcia quoque locum habent, e. g. glycirrhiz. polypod. passul. maj. & min. ficus, pruna, Dactyli, ceratonia, pulpa cassiæ, manna &c. quæ omnia ideo magis probanda sunt, quod non tantum temperent, sed evacuent simul leniter.

§. XXXIX.

In humorum denique visciditate, quemadmodum supra dicta remedia Salina, sive sub acida, sive salsa sint, conveniunt, ita & præter hæc usurpari quoque possunt aromata benigniora & Salia vol. oleosa e.g. Sp. Sal. armanisat. Liq. C.C. Succin. Decoct. rad. chin. caryophyll. Lign. Sassafras &c.

§. XL.

§. XL.

Quod ad secundam indicationem attinet, commotio nimia Sanguinis, & exacerbatio Spirituum, refrenatur per emulsiva, & leniter oleosa, & gelatinosa refrigerantia, emuls. sem. frig. pinear. atque amygdal. dul. gelat. C. C. & ebor &c. nam his, prout tritissimo Proverbio dicitur, unâ fideliâ duos dealbamus parietes, i.e. non modò acrimoniam, si quæ adest corrigitus, sed & fervorem spirituum leniter figimus & demulcemus. Pro hoc scopo convenient quoque anodyna mitiora, Sulphur lycopod. Sulph. coryli, quod in hec tica infandum optimè datur, flor. & radix nymph. fl. viol. lil. alb. samb. cham. melilot. atque anethi. Huc refer Nitrata, Nitrum purum, arcan dupl. plantag. portul. semperv. maj. succum 69. fluviat, Aq. sperm. ranar. aqu. sanguinis porc. & humani. Ex regno minerali Antimonalia cuncta laudari solent; speciatim tamen famosum est antihect. Poter. (cui tamen valde parum tribuit D. Præses) & Sacch. Sat. (cui & efficacia & securitate plurimum præfert Nitrum.)

§. XLI.

D. Præses Methodum curandæ Hecticæ ponit (1) in labi viscerum curatione, cuius accuratam per vestigationem, & circumspetam atque placidam tractationem commendat. (2) In aestuum febrilium, præcipue ubi excandescunt, mitigatione: [3] facili & prompta, minime tamen copiosa, nutritione: [4] Tempestiva contrà exacerbationes, præservatione. Primum, per leniora discutientia, resolventia, mundificantia, balsamica, pro re natâ, perpetrare suadet. Laudat hic Gummi-resinas temperatas, Extracta herbarum, tempestivas laxationes, humectationes, balsama temperata Sulphuris, Antimonium crudum: prudentissime & provide adhibenda. Secundum per absorbentia, temperantia, diapnoico-diuretica, ubi Matr. perlar. vel alias conchas, Corallia quoque, Ovorum cortices laudat: Æstui verò Nitrum destinat, & commendat, non diuturnum, sed repetitū, ejus usum. Tertio scopo Emulsiva cum analepticis attribuit: Specialiter verò Sem. frigida majora rejicit ex Emulsionibus. Quartum finem, exequitur, tempestiva V. S., quam, contra communem opinionem, rete, debito loco, congruo tempore, & tolerabili quantitate

institutem, maxime laudat, & ad Experientiam provocat, e-
jusque rei aliquot exempla planè memoratu digna nota-
se, asseverat. Interim verò Hecticæ veram, plenariam, &
constantem, curam, non statuit, nisi sublato viscerum affectu:
Quem ipse quidem in Hecticâ verâ, perpetuo subesse confir-
mat: Eoque differre Hecticam, à Febre lentâ simplici, arbitra-
tur.

§. XLII.

Jam pergendum est ad curationem symptomatum, in
hecticâ febre obviorum. Ubi sudor nocturnus primum obti-
nebat locum; huic temperando præter antihect. Poter. Sacch.
Satur. lap. hæmatit. corall. lap. 69. C. C. ust. Terr. Goldberg.
&c. destinantur decoct. C. C. rad. chin. L. sassaf. emulsiones
nucleorum, & sem. frigid. c. papaverinis & opiatis (parcisi-
me tamen adhibendis) interdum si vigiliæ simul urgent mis-
cenda. D. Præses omnibus opiatis hic præfert, Mass. pill. de
Cynog. Externè adhiberi possunt fol. nymph. heder. terr.
rosar. violar. Salicis, lectulo instrata, l. decubitus super stra-
tum coriaceum, aut si tenuoris fortunæ sit æger, super saccum
linteum, in quo farina frumenti antehac erat asservata, aut
super linteramina multo amylo rige facta, ad imitationem
Hoffmann. in clave: balnea aluminosa tam naturalia, quam
artificialia commendant aliqui, sed D. Præses dissuadet.

§. XLIII.

In Diarrhæa eò allaborandum est, ut ante omnia humorum
acrimonia temperetur. Huic ergo medebuntur crystall.
mont. alabast. corall. lap. 69. C. C. alcis & unic. foss. bol.
armen. terra sigill. cydoniata e. g. cinam aq. cydoniata &
ex rosis nostris parata v. g. syrup. imperatoris, conserva &
syrup. de rosis fccis it. lac chalybeatum. Nec silentio præte-
reundæ sunt rad. temperantes pœon. alth. lil. alb. &c. it opi-
ata & theriacalia si termina concurrant in minori dosi exhi-
bita. Omnibus his, tam ad sudorem, quam diarrhoean, præfert
D. Præses. Spec. & Conf. de Hyacintho, moderatissime usurpa-
tas, cum Nitro, & si opus sit, momento M. pill. de Cynogl.

§. XXXIV.

In ulceribus pulmonum aliorumque viscerum, requi-
runtur mundificantia, temperantia, & balsamica. Hæc sunt
sanicula, pyrola, alchymill. virga aurea, scabiosa, veronica,
chæ

chæref.heder.terrestr. scordium, sangvisorba, quinque fol. polygon. pilosell. fl. verbasci,lil. alb.& hyper. fol. myrti quer-
cus, salicis ,vincæ pervincæ, Rad. bistort. torment. ir eos a-
quat. fruct. momord. Sem. lycopod. it. quælibet ex Sulphure
parata v. g. fl. Sulphur, balsam. Tinctura & extr. Tinct. anti-
phthisica D. Mich. Myrrh. & hujus Tinctura, balsam. peruv-
ac thereb. cum Antim diaph, & antihect. Poter. miscenda &
alteranda.

§. XXXV.

Inter remedia externa, balnea aquæ dulcis non mini-
mam locant operam, ob insignem attrahendi & humectandi
vima. Nempè balnea tepida fieri possunt ex aqua vel simplici
vel additis herbis emollientibus e. g. malv. viol. branc. ursin,
fol. salicis, tiliæ, laetucæ priùs coctis : affundi his etiam pos-
sunt aliquot mensuræ lactis bubuli, balnea itidem ex pedibus
animalium, v. g. vitulorum, suillorum, decocto capitum vel
intestinorum vervecis, parata. Usurpandi tempus sit manè,
prius alvo exoneratâ, duabus ab assumto, vel lacte, vel juscu-
lis confortantibus, horis, tamdiu in eò remorando, quoad
vires permittunt. Exiens æger linteis tepefactis abstergen-
dus, & ad spinam dorsi inungendus, aqua rosar. seu oleo ro-
faceo, litus enim cum oleis & pingredinibus in hecticis egre-
gii usus snt. Felix Platerus prax. I. de febr. usum providum
thermarum experientia comprobavit.

§. XXXVI.

Diætæ tandem, cum morbus satis chronicus febris he-
cticæ sit, maxime erit litandum. Aër igitur sit humidus, ad fri-
gidumpaulò inclinans, verbo, temperatus ; vel naturâ, vel
arte: ideoque corrigendus tempore æstatis, rebus refrigerantibus & humectanti-
bus conclavi inspersiis, ut sunt fol. vitis portulac. endiv. fl. rosar. violar. aqua
rosar. frigida simplex &c, Vitandus quoque est aër autumnalis juxta Hipp. 3.
aph. 22. Hyeme corpora vestitu bene defendantur ab inclemencia aëris frigidi,
ægri in hypocaustis calefactis immorentur. Galenus method. medendi c. 3. in-
terdicit ingressum plurimorum in cubiculum.

§. XXXVII.

Cibi sint Euchymi & eupepti, quales sunt carnes vitulorum, pullorum,
caponum, phasianorum, & ex his parata juscula cum passulis, pineis, &c. Inpri-
mis conveniunt lacticinia, quæ meritò hecticorum asylum sunt & refugium, vid.
Misc. nat. cur. Ann. I. obs. 19. Diemerbrock. obs. med. 30. Act. Erudit. Lips.
Ann. 84. p. 183. & in primis Meibom, in dissertat. d. phthis. curat, per lac. Coch-
leæ

Iex in jure pullorum coctæ, ut & testudinacea, bene nūtriunt. Ranarum coxx in jure caponis elixatae, valde prosunt. Ex gammaris fluvia libus, cum aliis alimentosis, rite parata, succum nutrientem in se continent egregium: Pisces si appetat æger, saxatiles, & fluvia libum quidam v. g. funduli, truttae, thymali, & alii facilioris concoctionis elegantur. Inter fructus horæos pruna Damascena, cerasa acida, ob humectationem & laxandi vim locum quoque habent. Viten- tur quoque calida nimis acria, falsa infumata, aromatibus muria que condita. Potus sit optimè fermentatus & defecatus, nec nimis calefaciens & generosus: unde Vinum præprimis generosum, spiritus vini, et vulgo dictæ aquæ vitæ, omni- busmodis vitandæ sunt, Vinum vero tenue, aut alias temperatum, maxime il- lud, quod Itali vocant limoniale, paratum è vino, citro, passulis minoribus, cinamomo & saccharo concedendum est præsertim si ventriculus admodum in- firmus fuerit, coctionem enim juvat ac distributionem promovet.

§. XXXVIII.

Præ reliquis, lactis usus commendandus quatenus ob ob particulas pingues & oleosas, quibus pollet, optimè nutrit, acrimoniam humorum temperat, & ob serosas particulas humectat; hinc emulsiones tabidis & hecticis saluberrimum usū præstant, illorumque optima analeptica sunt, dum serum restituunt humorumq; acrimoniam demulcent.

§. XXXIX. Inter lactis autem genera post humanum, & quidem muliebre, de quo vid. Binning. C. 5. obs. 44. Platerus Prax. tr. 3. l. 1. c. 5. maxi- mè laudatur asinum & caprillum; ut potè seriosus, quâ de causa etiam seru la- ctis interdum ipsi substitui potest: vid. Barbet de Sanguinis p. 10. imo eadē de causa à Piens lac ebutyratum commendatur.

§. L. Circa huius usum notentur conditiones sequentes. 1. ut ventriculus ab omnibus excrementis prius liberetur scilicet per vomitorium, & laxant. vid. Joël. Prax. tom. 5. (2. ne in hec tica ubi complicatur putrida propinemus, circum- spectione enim adhibitā audiendi sunt Sanctorius, Method. l. 15. c. 17. & For- tis cent. 2. consult. 56 etiam in tali casu hoc svadentes. (3: dispiciendum est, an æ- ger ratione ventriculi tensionis hypochondriorum, ac doloris capititis, lactis u- sum feret, id est nihil molestiae, v. g. singultum, vomitum, tormina &c. inde pa- tiatur. ne calor intendatur. Utilissimum vero est, præmittere immediate, imo & conjungere, lacti, absorbentia. Reliquum lactis sumendi Regimen, videre est ap. Senn. de Febr. l. 3. C. 3. & Joel. Prax. Tom. 5. p. 657.

§. LI. Motus quia calefacit corpus magisq; exsiceat nimius vitandus ne calor augeatur, viresq; debilitentur. Quies moderata sit. Vigiliæ quoque nimiae ob exsicandi vim vitentur; somnus moderatior sit: Alvus fungatur suo officio, si segnior, leniter stimulantibus ac laxantibus provocanda; si vero justò laxior, tem- peratè adstringentibus sedanda: ubi spec. & conf. de Hyacintho laudem me- rentur. Animi denique pathemata in primis ira, moeror, cura & tristitia omnibus modis vitentur.

SOLI DEO GLORIA.